

re, in fine. Qui quidem Ordo, est sacramentum, cum ab omnibus numeretur inter septem sacramenta. Tum etiam, quia sacramentum est quædam sanctificatio hominum exhibitæ in aliquo signo sensibili. cap. multi. 1. q. 1. sed in susceptio-  
 ne Ordinis, quædam consecratio exhibitæ per signa sensibilia, ergo sequitur, quod Ordo sit sacramentum. Tum etiam, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis, Auth. multo magis, C. de sacr. san. eccl. sed propter Ordinem homo efficitur dispensator sacramentorum, ergo Ordo maxime habet rationem sacramenti. Tandem si quis dixerit ordinem suæ sacram ordinationem non esse verè, & propriè sacramentum, Anathema esset, ita habetur in Concil. Trident. sess. 23. cap. 3. & sess. 7. cano. 1. Et si quæ-  
 4 ratur à quo ÷ fuerit hoc sacramentum institutum. Dic, quod à Christo Domino, ut habetur per Concil. Trid. sess. 23. can. 3. nam tempore cœnæ fuit institutum, & post resurrectionem confirmatum. Et ratio est: quia huius sacramenti Ordinis perfectio constat potestate conficiendi corpus Christi verum, & remittendi peccata. Prima fuit tradita post cœnam, quando dixit Apostolis. Hoc facite in meam commemorationem. Secunda verò, post resurrectionem, quando dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata &c. Hoc autem intelligendum est de septem omnibus ordinibus: quia Christus dedit potestatem Ecclesiæ administrandi, & ordinandi ministros necessarios ad Eucharistiæ sacramentum, ut constat auctoritate B. Ambrosii super locum ad Ephes. cap. 4. ipse dedit quosdam Apostolos &c. Hosce vero omnes Ordines aliter Iuristæ, siue Canonistæ, & aliter Theologi diuerso numero contineri asseuerant. Nam Canonistæ nouenatio numero contineri docent. vt est gloss. in proc. sexti, in verbo, Episcopus gloss. & Dom. Anto. in c. quotiens, de purg. canon. Imola, & Cardin. in cap. in plerisque, de electio. Felin. in cap. sicut pro cætero, de simon. Et ita ad-

dunt Episcopatum, & Psalmistatum, 21. dist. cap. clericos, ad exemplar cœlestis Hierarchiæ, cap. principium, §. omnis lapis, de pœnit. dist. 2. Theologi verò septem esse spiritualium officiorum gradus, siue ordines docent, sicut ex sanctorum Patrum dictis aperte traditur, & capituli nostri Iesu Christi exemplo monstratur, qui omnium officia in semetipso exhibuit, & corpori suo, quod est Ecclesia, eisdem ordines obseruandos præcepit, ita Magist. sentent. in princ. 24. dist. 1. Quorum nomina hæc sunt: Ostiarius, seu ÷ janitor, ad quem pertinent clauis Ecclesiæ, ut claudat, & aperiat templum Dei, & omnia, quæ sunt intus, extraque custodiat, fideles recipiat, excommunicatos, & infideles expellat. Quo quidè officio vsus est Dominus in propria persona, quando eiecit ementes & vendentes de templo flagello de funiculis facto. Sectandus est Lector, qui dicitur à legendo, cuius officium est lectiones legere, eas verè, & rectè pronuntiare, populo quoque ea, quæ propheta dixerunt pronuntiare. Hinc illi liber traditur: Hoc quippe officio vsus est Dñs in medio seniorum libri Isaiæ aperiens, & legens ibi: Spiritus Domini super me, &c. Tertius est Exorcistarum Ordo, ad quem pertinet Exorcismos memoriter retinere, manusque super emergentes, & catechumenos in exorcizando imponere, adiurando eos per Dominum, ut exeat ab eis sathanas. Hoc etiam officio vsus est Dominus, quando multos dæmoniacos liberauit. Quarto est Accolitus, qui alio nomine cerosferarius dicitur, à ferendo cereo, quando scilicet legitur Euangelium diebus festis, d. cap. clericos. Ad ipsum pertinet præparatio luminariorum: ipse cereum portat, ipse sùggesta pro Eucharistia, & calices Subdiaconis præparat. Hoc et vsus est Dominus cum diceret. Ego sum lux mundi. Quintus est Subdiaconus, qui idè sic appellatur, quia subiacet præceptis, & officis Leuitarum, cuius munus est calicem, & patenam ad altare Christi deferre, & Diaconis tradere, eisque mini-